

imponerent ea capiti immolandæ victimæ, cui imponebant manus, & cum fide promissionis divinæ, quam Gratia Dei ritui huic sacrificiali adjunxerat. Fiebat ita, ut mera DEI gratia, beneplacitum DEI, hanc expiationem ordinaverit, peccata confitentis condonaverit, offerentem in Gratiam receperit. Expiatio, peccatorum condonatio, in gratiam receptio, conjunguntur.

§. XV. *ANIMAS VESTRAS*. Summum exprimitur, ut inferiora intelligantur comprehensa. Potuisset dici *וְהַיְוֹס*, ad expiandum vos. Et verum est, totum hominem in gratiam recipi, offerentem expiari, condonari ei peccata. Verum huic loquendi rationi rationes subsunt. Anima rea constituitur per Peccatum. Mors peccati stipendium est. Morti fit obnoxia anima per peccatum. Hæc alia, à morte corporis, mors est. Matth. X, 28. JESUS ad discipulos suos loquitur: *Quin etiam ne timete vobis ab iis, qui occidere CORPVS possunt, ANIMAM verò occidere non possunt! Timete verò potius Eum, qui potest ET CORPVS, ET ANIMAM perdere in gehenna.* Offerens ergo, cujus anima erat expianda, perditionis in gehenna reus erat, qua perdendum & corpus fuit, & anima. Fatebantur ergo fideles, se reos esse mortis & temporalis, & æternæ. Tum verò è Contextu hæc ratio est. Dixerat ab initio versus: *Quia anima carnis &c.* Dicitur ergo, *ad expiandum animas vestras.* Quia anima, quæ erat in sanguine, sanguine dato super altare, dabatur ad expiandum, hinc dicitur, non, ad expiandum vos, neque, ad expiandum sanguinem vestrum, neque, ad expiandum carnem vestram, sed ad expiandas animas vestras.

§. XVI. Hic verò Accentus distinctivus, *Atnach*, in Hebræo ponitur. Unde apparet, Versionem Latinam, quæ Colon habet, post verba: *Quia anima carnis in sanguine est*, deinde verò simplex comma ponit post verba, *pro animabus vestris*, non eandem, quæ in Hebræo est, habere distinctionem, neque esse ex Hebræo expressam. Ad hæc, post comma, Versio habet: *ET sanguis*, quum sit in Hebræo Textu Particula causalis, *וְ* *Quia*. Si verba retinenda sunt, foret dicendum: *Quia sanguis est, per animam piaculum erit*, scilicet, animarum vestrarum. Pagninus ad Hebræa verba reddidit: *Quia sanguis ipse.* Sed non bene addidit, nullo etiam commate interveniente, *animam expiabit.* Ad Hebræum propius: